



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 224

De morte Pilati. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29805

HAYMO DE CHRISTIA.

HAYMO.

Circa hoc tempus Iudæis multa accidunt mala, ppter piaculum quod in saluatorem commiserunt, Caio persequente. Ad quem Philo tunc insignissimus scriptor apud Hebræos pro contribulibus suis Iudæis legationem suscipit. Exortam apud Alexandriam seditionem inter Græcos & Iudæos ipse Philo contra Appionem, qui erat ex parte Græcorū, potentissime purgat Iudæorū obiecta, sed spernitur à Caio cum odisset Iudæos Caius, pro eo quod ei neq; aras, neq; templa, neq; imagines faciebant. Erat enim tantę vesaniæ & præsumptionis, vt deum se vouerit appellari. Qui etiam templum sanctę ciuitatis replēs imaginibus & statuis, quod solum intactum à pphanæ religionis contagione fuerat, commutare in templum proprii nominis ausus est, vt proh pudor templum domini, ædes nobilissimę Iouis & noui dei Caii vocaretur. Quæ omnia in suis libris Philo plenius describit, & alias innumeras clades vltra omnes tragicos luctus Iudæis irrogatas esse dicit apud Alexãdriã.

ACTVM TEMPORE TIBERII.

Caput XIII.

At Iosephus mala enumerat, quę apud Hierosolymam eis acciderunt. & quomodo Pilatus in Hierosolymam intulit imagines Cęsarıs. **QVOD PILATVS SE IN MORTEM DAMNAUIT.** Cap. XIII.

Per idem tempus cum sic vltio diuina perurget Iudæos, Pilatum quoq; qui in morte Christi iniq; iudicis officio functus est, non sinit esse impuni-

RERVM MEMO. LIB. II.

tum. Hic ergo à Caio multis malorum cladibus ex-
cruciatus, tandem propria manu se transfuerberans,
damnat in mortem.

EX HISTORIIS GRAECO

rum de fame dira pphetata. Cap. XV.

INterea Caius finem viuendi facit post quatuor an-
nos, nec integros. Claudius succedit, sub quo dira
fames fit quam pphetauit Agabus. Tunc fratres
Antiochiæ p viribus suis sanctis habitantibus in Hie-
rusalem necessaria transmittunt per Paulum & Bar-
nabam in ministerium sanctorum destinatos.

DE HERODE MINORE, QVI

filius Aristobuli filij magni He-
rodis fuit. Cap. XVI.

Svb hoc tempore Agrippa cognomento Hero-
dis, totius Iudææ regnum obtinet. Hunc Lucas
in Actibus apostolorum Herodem nominat, Io-
sephus Agrippam. Hic inquam de crudelitate patruï
plurimum retinēs, persequitur apostolos, Petrum in-
carcerat, & occidit Iacobū fratrem Iohannis gladio.

CLEMENS ALEXANDRI-

nus de morte Iacobi fratris Iohānis.

Caput. XVII.

DE cuius passione, vt aliquid reuoluamus, dici-
tur, quod cum à quodam apparitorē oblatus
esset Herodi ad martyrium, etiam ipse, qui ob-
tulerat pœnitentia ductus, motus est, & confessus est
se esse Christianum. Tunc ambo pariter ducti sunt ad
supplicium. Et cum ducerentur, rogauit Iacobum in
via dari sibi remissionem. At ille parumper deliberās,

B